B. N. C
FIRENZE
1043
8

Digitized by Google

Digitized by Google

1043.8

Digitized by Google

A

1043·8

B

XXXI
PHILAD.

1043·8

C1

Breves ac ſuccinctæ

AD

LUDIOMÆI COLVINI

Papam Ultrajectinum.

ANIMADVERSIONIS.

AUTORE
PHILADELPHO IRENÆO.

LONDINI
Apud Thomam Roycrof,
1668.

Wolfius I. C. Tom. 2.

Memorabil. centenario XVI. fol. 987. Vaticinium de politico Antichriſto.

Quidam Dominus nobilis hoc tempore Concionatorem ſuum publicè pro concione reprehendit, & eum mentiri dixit: quæ eſt vaticinii Lutheri ſufficiens impletio, qui politicum Antichriſtum mox fore ex Apocal. 17. *prædixit: ut quemadmodum Papa Eccleſiæ prætextu politicum arripuit gladium: ſic ille politiæ reſpectu eccleſiaſticum ſit capeſſurus & politicam Eccleſiam, ſicuti & Papæ, facturus. Ac de eo id vaticinium in concione dominicâ* 23. *Trinitatis Witteberga, anno* 1537. *habita ita ſonat.*

Verba magni Lutheri, quæ Wolffius ex tomis Germanicis Germanicè ibid. exhibet in latinum tranſlata ſunt iſta:

Mixtura nunc fiet alia, ante Epiſcopi defecerunt; Aſt, ſi mundus duraturus ſit diutius, eò deveniet, ut ii, qui Principes ſunt, & Magnates ſeculares, velint eſſe Clerici; & tunc Prætor in pago, Conſules in urbibus, nobiles in agris, Parochos & Concionatores reformare, iis magiſtraliter imperare, imo præſcribere ſibi præſument, dicentes: Ita debet prædicari, vel ſic concionaberis. *Hactenus autem, res ipſis non ceſſit, licet diabolus id jam quærat ſummoperè, omnemque eò navet operam. Illi ex Epiſcopis Principes facti, Hi, ut ut Principum ſecularium habitu incedant, nihilominus Epiſcopatum affectabunt. Et hujus generis Epiſcopi erunt ultimi circa finem mundi, noviſſimo ſcil. die. Deus enim ad iram ſummè provocatus eſt contra mundum, quod neque Chriſtum, neque pretioſiſſimum verbi ſui theſaurum recipere voluerit. Siquidem jam piis ac probis viris auſcultare ac obtemperare recuſabis: venient Epiſcopi ut Principes ſeculares.*

1043.8

BREVES ac SUCCINCTÆ

AD

LUDIOMÆI COLVINI,

Papam Ultrajectinum

ANIMADVERSIONIS.

Nihil eſſe in rerum naturâ quod non ſuum habeat contrarium quotidiana docet experientia, & naturalis quædam inter innumeras hujus univerſi ſpecies pugna eſt, longam antipathiarum ſeriem rerum naturalium periti enumeravere: tum mortalium ratione præditorum multi occulto quodam impetu & veluti fato ſtudia in contraria tendunt, neque quiſquam ad eum beatitudinis gradum pervenit unquam, neque omnibus ita placere potuit, ut non aliquando aliquem oppoſitum ſibi cerneret adverſarium, ſuoſque pateretur manes; illi præſertim, qui ingentibus animi vel corporis ornati dotibus ſeculi ſui cluent lumina & columina, & inter alios fulgent tanquam inter ignes luna minores. Hinc viri doctrinâ pariter ac pietate inſignes ab omni tempore ſuos habuêre æmulos, habuêre invidos, ut olim Romani Imperii æmula Carthago; eos maximè qui paria cum ipſis facere non poterant, quique, cum propriis viribus, virtute meritiſque propriis ad altiora graſſari nequirent, in id ſolum omne vitæ tempus conſûmebant, ut viris egregiis ineptias quaſdam, quæ vix ſani videntur eſſe hominis objicerent, quo eorum gloriam offuſcarent, famam ſugillarent, illuſtre nomen ſupprimerent, poſterorumque ſubtraherent memoriæ.

Ne ambagibus utar, vivo ad confirmandam rei veritatem exemplo nobis inſervit Celeberrimus Voetius, *ſolidæ eruditionis, & (quod non eſt diſſimulandum, cum obſcurari non poſſit) veræ pietatis, nec non ingenii ſolertiæ nomine Profeſſorum jam in reformatis Eccleſiis gloria & decus eximium.* Teſte eximio Theologo Samuele Retorſort in diſput. de providentiá, epiſt. Theol. Candid. Adhæc multijugâ ſcientiâ clarus, orthodoxus, pius, & piorum vindex, fatentibus id ipſis adverſariis. Hic per univerſam ferè vitam multorum ſcriptis impetitus, & invidorum male-

 dictis

dictis expoſitus fuit, quamvis nunquam ei defuerit fautorum turba, ut verè illi applicari poſſit; quod de Hieronymo Sulpitius Severus ait in 1. Dialog. *Illi jugis adverſus malus pugna, perpetuumque certamen concivit odia perditorum. Oderunt eum haeretici quia eis impugnare non deſinit; oderunt clerici, quia vitam eorum inſectatur & crimina. Sed planè eum boni omnes admirantur, & diligunt.* Omnis enim generis adverſarios ſæpius expertus fuit Celeberrimus Voetius; alios quidem majores ac fortiores, tamquam majorum gentium Deos, quibuſcum prælio literario decertare non inutile, imo ad veritatis patrocinium neceſſarium fuit. His fortiter ſeſeoppoſuit, objectiones turmatim propoſitas profligavit, & rationum pondere cauſam quam tuebantur deſperatam, deſperatiſſimam fecit: alios minores, imbecilliores ac terræ filios vix nomine notos crambem recoctam apponentes, quibuscum in arenam deſcendere inutile ac ſuperfluum exiſtimavit: quare nec reſponſione eos dignatus eſt, ſed vel in tranſitu ſolummodò notavit, vel ſtrenuè contempſit tanquam catellos eminus allatrantes, aut nebulas in pariete. Horum numero adſeribendus, qui ſe nuper ejus antagoniſtam profeſſus eſt *Ludiomaeus Colvinus*, ſeu tranſpoſitis paululum literis *Ludovicus Molinaeus*, magni parentis degener filius, non canens (ut vulgiverbio dicitur) paternas cantiones, in ſuo libello cui titulum *Papa Ultrajectini* præfixit *ἱστορία* vel argentanginâ & præmiorum ſpe ac pollicitationibus eò allectus à quibuſdam reformatæ religioni parum addictis (& hi fundi eccleſiaſtici calamitas) minimè vita & moribus reformatis (quos tamen miniſtris locum in conſeſſibus politicis, & jus ſuffragii in ſummi Magiſtratus conciliis deberi, neutiquam affirmaturos puto, quod agit Molinæus) ut Celeberrimus Voetius extremam ſenectutem agens à Politiæ Eccleſiaſticæ compoſitione diſtraheretur dum reſpondendo tempus inſumeret. Verum futilia nimis illa ſunt, quam ut legitimam reſponſionem opponeret, apinæ tricæque & ſiquid vilius iſtis, & nimis inepta, quam ut vitæ tempus, quod fortè exiguum ei ſupereſt, impenderet iis refutandis: ſuſcipere poſſunt negotium hoc alii cum vel mediocriter doctrinâ theologicâ imbuti huic operi ſufficiant.

Otioſas igitur horas, quibus ordinaria ſtudia intermittere ſoleo, non inutiliter impenſurum me exiſtimavi, ſi breviſſimè & chilonio modo Molinæi *Papa Ultrajectino* nonnulla reponerem: neque enim eſt animus ampullas projicere aut verborum ſeſquipedalium pompâ ac longâ oratione ſingula quæ notari poſſent inſectari, id aliis relinquo; præcipua tantum fundamenta, quibus ſuas poſitiones, tanquam totidem fulcris

ac

ac columnis ſuperſtruit deſtructurus, ita univerſa moles ſponte ſuâ ruet.

Apertas ſileo calumnias, & dentatum titulum, quibus, tanquam tragicus Theocrines Celeberrimum Voetium Papam Ultrajectinum appellat: quamvis nil gravius aut inclementius dici poſſet in Theologum Veteranum & tot ſtipendiorum Chriſti militem, cujus fides rebus adverſis explorata, ut aurum igni probatum, & qui multa paſſus (teſtes ſunt eccleſiaſtici annales) iniquis temporibus pro Chriſto & Eccleſia.

Sicut fortis equus ſpatio qui ſæpè ſupremo
Vicit Olympia, nunc ſenio confectu quieſcit.

In Theologum inquam orthodoxum, pium, & piorum vindicem, ex ipſius adverſarii ſententiâ; qui nunquam, ut ſolent Ecebolii Gloſſogaſteres, Theologiam accommodavit tempori, aut quæ mundi ſunt divitias, honores, magnatum ſavorem, imperium in Magiſtratus & Symmiſtas, ad inſtar Diotrephis, aut Pontificis Romani, ſed quæ Chriſti ſunt per gloriam & ignominiam, per convicia & laudes cum gentium Apoſtolo quæſivit. Nec facilè crediderim Molinæum hæc ex animo ſcripſiſſe; ad potius in gratiam eorum, quos ſcriptionis habuit auctores quatenus conſultores: ut huic negotio applicari poſſit illud Comici in Andriâ;

Poëta cum primum animum ad ſcribendum appulit,
Id ſibi negotii credidit ſolum dari,
Populo ut placerent quas feciſſet fabulas.

Splendida etiam Molinæi ſicco pede tranſeo mendacia quale eſt illud quod exſtat p.9. *Celeberrimum Voetium velle Myſterium iniquitatis redivivum* (de quo Paulus Apoſtolus 2. epiſt. ad Theſſalon. cap. 2.) *introducendo in Eccleſiam Chriſti purè & inculpatè reformatam, juriſdictionem paria in plerisque cum papali facientem.* Sed ubi Molinæe tot equuleos fidiculas, & uncos quibus elicias talem ſenſum è ſcriptis Voetii?

Dic aliquem dic Quintiliane colorem.

Quænam inter papalem, & ut loqui amas inter Voetianam poteſtatem eſt convenientia? toto cœlo differunt; liquet id ex omnibus de hierarchia papali habitis ejus diſputationibus: hoc collyrium adhibe, has lege & relege, & videbis, ſi propriis modo oculis pulverem non offundas, te te[illegible] Pegaſo comparaſſe. Quin nec ipſe tibi conſtas & cum te ipſo committeris, dicens alibi nullam unquam poteſtatem Voetianæ ſimilem auditam vel ſub veteri vel ſub novo Teſtamento. Vides te Mandragoram hauſiſſe & priorum oblitum? Illud autem imprimis notandum auctorem aut turpiter offendere ignorantiâ elenchi & à lineis excidere, loquar cum Tertulliano; aut inſtar noctuæ ad clariſſimam lu-

lucem oculos occludere, ut funem contentionis ducat, & inveniat quod illinat chartis, ac juxta Terentianum illud, *melius, pejus, proſit, obſit, nil videat niſi quod lubet.* Hinc multa; probanda aſſumit, quæ aut nihil eum juvant, aut rem de quâ controverſia eſt non ſpectant; veluti quibus artibus dolis & fraudibus pontificii probarint proteſtantibus poteſtatem Eccleſiaſticam diſtinctam à politicâ: quis enim unquam eodem ſenſu quo pontificii, affirmavit, eccleſiaſticam poteſtatem à civili diſtinctam? non ſanè Celeberrimus Voetius, neque Molinæum in Voetii Politiâ Eccleſiaſticâ hæc legiſſe ſed ſomniaſſe puto; Aliquando bonus dormitat homerus, & nihil eſt quin malè narrando poſſit depravarier. Pontificiorum poteſtas Eccleſiaſtica includit ac continet juriſdictionem civilem propriè dictam, ſic ut coërcitiones etiam corporales exercere, carceri homines mancipare, de criminibus politicè cognoſcere, pœnam decernere, reoſq criminales brachio ſeculari ſubtrahere monaſteriis eos includendo poſſint, lictores, apparitores, juſtitiæ miniſtros habeant, forũ ſpeciale conſtituant, in quo non modò de eccleſiaſticis ſed de omnibus politicis ac civilibus cauſis judicent, in tantum, ut ipſi clerici nunquam à Magiſtratu ſeculari, etiamſi de enormibus agatur criminibus, ſed à ſolo clericorum collegio condemnari poſſint. Clariſſimus verò Voetius Eccleſiæ miniſtris nullo modo civilem illam propriè dictam tribuit juriſdictionem quæ per lictores apparitores &c. exercetur, ſed impropriam juxta catecheſin & confeſſionem belgicam, conſiſtentem maximè in eo, quod legum divinarum pertinaces violatores poſt varias reiteratas admonitiones, ſeriaſque ad pœnitentiam adhortationes cenſurâ notent ac tandem à ſacrâ cœnâ removeant, qui ultimus eccleſiaſticæ juriſdictionis actus, neque ulterius proceditur: quod ſi excommunicatus ſacra turbet, aut aliud quid violenti committat, non verbi Divini miniſtri ad eum coërcendum carceres adhibebunt, non pœnas corporis afflictivas, ſed Magiſtratus cauſâ cognitâ, dignis talem pœnis afficiet. Verum inquit Molinæus ponere juriſdictionem impropriè ita dictam, diverſam à Pontificiâ vel eâ quæ Magiſtratui qua Magiſtratui competit, de quâ latè tractant JCti ad tit. de juriſdictione, eſt fingere chimæram. Reſpondeo, quanti eſt ſapere? nunquam accedo ad te quin [illegible] te abeam doctior, o theſaurum rerum bonarum! dignum [illegible] ubicunque temporis momento fulminum more oſtendi poſſit toti humano generi à ſole exoriente Mæotidis uſque paludes. Quænam quæſo hæc eſt conſequentia impropriè hoc dictum eſt ergo chimæra? imitare ſtruthiocamelum & caput tuum occulta Molinæe nequis te conſpiciat, aut ede

na-

naſturtium & vigorem animi ſuſcitabit; quilibet enim etiam pueri qui nondum ære lavantur & ferulæ imperio ſubſunt, duplicem norunt eſſe vocis ſignificationem, propriam alteram alteram impropriam, idque propter rerum copiam verborum inopiam neceſſum fuit: neque enim tot diverſa excogitari facilè potuêre vocabula, quot quidem natura produxit diverſas rerum ſpecies. Et certè, ſi quælibet vox impropriè ſumpta chimæra ſit, tam immenſum earum numerum hoc Molinæi ſcriptum continet, ut loquacem delaſſare valerent Fabium. Quis unquam E.Gr. ferulam audivit eccleſiaſticam? aut quis unquam licet œdipo ſagacior quid per illa verba deſignare voluiſſet auctor divinaſſet? ſi non excommunicationis vocabulum fuiſſet præmiſſum. En itaque chimæram per hominem chimæram, & verſatiliorem rotâ figuli, o ingenii chimærici acumen è lunâ deductum! O Triptolemum ævi noſtri cui debemus methodum excogitandi mille chimæras! quid non hic homo chimæricus an chimicus? extraheret auri humano generi demiſſus in benè profundam cloacam, næ caput ejus Apollinis coronandum lauro, ſeu potius viridi capitio inveſtiendum cum tintinnabulis veſicâ ac piſis intus canore reſonantibus: mentes enim hæc decent chimæricas. Sed non miror amplius juriſdictionem Eccleſiaſticam ipſi chimæram eſſe, cum idem de excommunicatione affirmet impudentiſſimum animal, nam pag. 32. in fine de excommunicatione tractans, appellat eam *chimæram & terriculamentum avium*. Et pag. 43. de eadem verba faciens ait, *quæ ſola eſt ferula Eccleſiaſtica quæ terrorem bardis & ſtupidis injicit*. Ibidem à Magiſtratu dependere excommunicationem ac omnem ſortiri effectum ſtatuit. O ſapientum octavum! O Catonem tui temporis! tune definies cenſorio ſupercilio de Diſciplinâ Eccleſiaſticâ contra jus divinum & communem reformatorum ſententiam? tuaſque opiniones nullis ſubnixas rationibus tanquam Prætoris edicta venditabis? ita ne chimæra hæc tibi videtur, quæ non à Magiſtratu, ſed ab ipſo Chriſto inventa ac mandata, cum diceret, quicquid in terra ligaveris in cœlo ligatum erit & quicquid in terrâ ſolveris, in cœlo ſolutum erit? verum tibi condonandum, cum ſtatuas quod animitus optas, tibique perſuadere cupis; ut ita animum habeas obfirmatum, ſi fortè propter perdita ac ſpuria tua dogmata eam experiaris, & ne inde penes homines improbus audias, verbis animæ illud cauterium ſtrenuè contemnas. Liberalis tamen es, ponatur inquis excommunicatio inter divina præcepta, fortiſſimum tamen inde formabo argumentum, *cujus vim eludat ſi poteſt Voetius, neque enim hactenus vidi qui potuerit*. Confluite jam docti, ſummi, infimi, medio-

xumi

xumi,de cœlo de ſuper aliquid audietis, ſed canali oris Molineani, inſigne, recens, indictum more alio, quod olim meminiſſe juvabit; unico jam argumento alter Fabius, ſed Herculeo Eraſtianorum impedita, fracta, perdita negotia reſtituet; & equis an aſinis ſuis novum indagabit iter, quod nec cœlum tangat, nec terram, nec mare. O Bellerophontem! interim miror ſanè Molinæe te non crepuiſſe medium, ita mirabilem in modum te inflas, ipſumque in certamen vocas Voetium, ut ſi victus fueris, hanc feras gloriam quod cum magno Theologo in arenam deſcendiſſe dicaris. Sed obviam eamus huic Heroſtrato, aut adeſt nobis incendium Phaëtontis, vel Deucalionis diluvium, vel utrumque. Vim itaque argumenti ac ſenſum hunc eſſe puto; ſi excommunicatio eſſet æque divina ac præceptum *non occides*, æque fori eſſet humani ac illud. Reſp. Næ ille magno conatu magnas nugas dicit: Sextum enim præceptum *non occides*, quatenus decalogo continetur, neutiquam humani, ſed divini merè fori eſt, idque inde probo, quod in decalogo nulla in contravenientes pœna corporalis ſit appoſita, ſicut Deus ipſe ſit vindex, ut cæterorum ita & hujus criminis: hinc eſt quod in tertio præcepto Deus ait ſe non impunitum dimiſſurum eum qui nomen ejus vanè uſurpaverit. Non ibi dicitur, Magiſtratum non remiſſurum pœnam ſed Deum. Quia autem committentes in ſextum præceptum non Deum tantum graviter offendunt, ſed & jus naturale violant, & turbant Rempublicam, ideo mandato Dei Moſes leges quoque tulit Politicas circa homicidium, quibus ſanctionem adjecit, id eſt eam legis partem quâ pœna delinquentibus infligitur à Magiſtratu. Non itaque ipſum præceptum *non occides*, ſed pœna à Magiſtratu irroganda, in jure naturæ fundata, fori civilis eſt. Deinde ſi ipſum ſextum præceptum fori eſſet humani, ipſas homicidii cogitationes æquè ac ipſum homicidium punire deberet Magiſtratus, cum non cogitata minus quam patrata eo præcepto prohibeantur homicidia; certum tamen eſt nullam in foro civili cogitationis eſſe pœnam *l.* 18. *D. de pœnis, & accuratè Anton. Matthæus tract. de crimin. in prolegom. ad lib.* 47. *cap.* 1. *n.* 5. 6. Hinc igitur manifeſtè patet excommunicationem nullo modo fori civilis eſſe, quam enim quæſo pœnam leges civiles in excommunicatum à conſiſtorio Eccleſiaſtico conſtituerunt? nullam ſanè. Imo inquit Molinæus non debet excommunicatio alicui applicari, niſi ex æquo à Magiſtratu imperata ac ſancita fuerit, ſicuti pœna ob homicidium. Sed fallitur, ac toto cœlo errat, & hoc eſt non conſiderare ſed quaſi ſortiri quid loquaris, ut inquit Cicero: omnis enim pœna quam Magiſtratus ſonti-

bus

bus irrogat, eſt aut corporis afflictiva aut bonorum aut famæ & exiſtimationis, neque unquam aliam leges civiles agnovêre pœnam. Excommunicatio autem neque corpus affligit, neque bona minuit, neque quemquam infamiâ notat (æque enim ac ante excommunicationem apud reformatos teſtamenta condere, dicere teſtimonia, cæteroſque actus forenſes exercere poteſt excommunicatus, quod tamen infamibus eſt denegatum) animam tantum affligit, eam à communione corporis myſtici Salvatoris noſtri removendo; nullo igitur pacto à Magiſtratus decreto hæc pœna dependere poteſt. Secundò, ſi excommunicatio non deberet applicari niſi imperata ac ſancita à Magiſtratu, maxima ſequeretur inde abſurditas, ſic enim nuſquam fieri poſſet excommunicatio, ubi alterius religionis Magiſtratus imperium obtinent; ſic auctoris Celeberrimus Parens Petrus Molinæus Profeſſor ac Miniſter Sedanenſis nunquam legitimè ſub Galliarum Rege diſciplinam exercere potuiſſet Eccleſiaſticam. Neque quicquam juvat quod dicat Molinæus eo caſu quo Magiſtratus non curat Eccleſiam quia fortè diverſam amplectitur religionem, aut quia curare eam non vacat aut non libet, Eccleſiam & Miniſtros habere talem poteſtatem, Magiſtratus poteſtati anologam, quatenus aſſumpta eſt à cætu Synodo aut Eccleſiâ vel per mutuum conſenſum vel per diſciplinam confœderatam, & ſimul ac Magiſtratus verum aſſumpſerit Dei cultum tunc poteſtatem illam ab Eccleſia ad Magiſtratum deferri: commentitia hæc ſunt, delirantium ſomnia, vix digna lucubratione anicularum, & ut cum Cicerone loquar; ita malè inſtituta ratio exitum reperire non poteſt, nulla veritatis ſpecie, nullo fundamento ſuffulta: ubinam obſecro reperitur illa diſtinctio? oraculo enim tuo Pythagoræorum in modum non acquieſcimus, vel unus producatur ſacræ ſcripturæ textus, quo hanc tuam probes deciſionem, niſi fortè in Ovidii Metamorphoſi & legendis aurei ſancti Johannis, aut perditis Remonſtrantium traditionibus illam inveneris idque ſufficere putes. Multa quidem dici poſſunt, multa carminibus ſuis Poetæ fabulati fuere, ſed ad ea probanda nec Muſæ novem, nec eorum ſufficeret præſes Apollo. Illud circa quod quæſtionis cardo vertitur, & unde totius controverſiæ fere pendet deciſio auctor pro certo ac ſi ſole meridiano clarius eſſet præſupponit; ſic ut cum ſine probatione affirmetur, ſimpliciter quoque negando corruat. Verum ut preſſo eum pede ſequar, omnemq; gloriandi anſam eripiam, quam abſurdum hoc ejus ſit præſuppoſitum, ex ſequentibus paitebit: aut enim poteſtatem illam caſu quo Magiſtratus eſt alterius religionis

habent Miniſtri jure proprio, aut à Magiſtratu delegatam: quicquid jam horum attigeris ulcus erit. Si jure proprio, jam jus illud ipſis auferri nequit, cum notiſſima ſit juris regula, jus quæſitum nemini auferri poſſe, nequidem à Principe ſine cauſâ; non ergo à Magiſtratu veram ſuſcipiente religionem: ſin delegationis jure, tunc Magiſtratus ubi placuerit ſemper eo jure ipſe uti poteſt, adeoque nihil intererit, ſitne Magiſtratus ejusdem an alterius religionis. Secundo caſu quo Magiſtratus ejuſdem religionis eſt, habebit iterum Magiſtratus illam poteſtatem aut jure proprio aut à Miniſtris conceſſam. Non jure proprio, tunc enim Magiſtratu ad aliam tranſeunte religionem, non poſſent Miniſtri eam ſibi vindicare, cum id quod alterius eſt nullo modo vindicari queat. Præterquam quod inferiores juxta Molinæum ac ſubditi poteſtatem Magiſtratui volenti nolenti eriperent, quod læſæ Majeſtatis ſaperet crimen. Non etiam habent eam à Miniſtris: neque enim minor ac inferior quales Molinæus vult eſſe miniſtros, majori poteſtatem tribuere, non ſubditus præpoſito auctoritatem dare poteſt. Et, ut rem exemplo Illuſtrem, quis non videt abſurdiſſimum fore, ſi quis dixerit, Henricum Magnum Galliarum Regem quamdiu reformatæ religioni addictus fuit eamque profeſſus eſt, Eccleſiæ curam habuiſſe, excommunicationem, cæteraque ad diſciplinam Eccleſiaſticam ſpectantia, decreviſſe; aſt ubi ab ea ſeceſſum fecit, & ad pontificia dogmata animum applicuit, reformatæ fidei miniſtros propriâ auctoritate Regi eam poteſtatem eripuiſſe ſibique vindicaſſe. Imo inquit Molinæus p. 26. Eccleſiæ Gallicæ in eâ haud dubiè ſunt ſententiâ, ſuam diſciplinam in jura ac poteſtatem Regis conceſſuram, ſi ille reformatæ religioni nomen daret. Sed hoc iterum Oreſtis ſomnium, aut cæci Tireſiæ vaticinium: O Laertiade, quicquid dixero aut erit, aut non; rumoribus pugnas, rationes requiro: quin longè aliter ibidem docuit experientia, inſcitiæ ſaltem vel malitiæ arguit auctorem prædicti Henrici Quarti exemplum, à quo, licet initio reformatæ religionis eſſet, tamen in tantum non Eccleſiaſtica dependit diſciplina, ut ipſi etiam ſacra cœna propter grave peccatum commiſſum denegaretur. Videat hic Molinæus quam bellè diſciplina Eccleſiaſtica nutui Principis & imperio ſubjecta fuerit, ubi Rex propriæ ſui ipſius perſonæ intuitu judicio Miniſtrorum acquievit, & eucharíſtiæ denegationem æquo tulit animo.

Pag. 39. & *ſeqq.* multas allegat Molinæus auctoritates affirmantium diſciplinam Eccleſiaſticam ad Magiſtratum ſpectare. Quaſi vero ſolis certandum ſit auctoritatibus & non communis opinio communis ſæpè

ſit

ſit error: ſi illa primum in rebus probandis locum obtineat, quis amplius dubitabit lubrica Pontificiorū dogmata omnium fore certiſſima? quippe qui plenis Doctorum manipulis certare, ingentia magnorum virorum dictis repleta plauſtra producere poſſunt: verum nullius mortalis quantumcumq; docti in divinis curanda auctoritas, ad verbum Dei, normam infallibilem omnia ſunt examinanda, omnium inde deciſio petenda, illic pedem figat ſi velit Molinæus, inde textus alleget, producat inde formata argumenta, illa erunt Herculea, illa ſola ſtringendi ac convincendi vim ſortienter, cum ex adverſo Doctorum teſtimonia iis deſtituta ſint arena ſine calce & ſtramineæ catenæ, quæ leviſſimo igne correptæ ſtatim in fumum ac pulverem abeunt. Inſuper ea Doctorum loca jam dudum notavit Celeberrimus Voetius in Politiâ Eccleſiaſticâ *part.* I. *libr.* I. *tract.* 2. *Cap.* 3.

Pag. 37. perfrictâ fronte audacter affirmat Molinæus, poteſtatem Voetianam Pontificiâ abſurdiorem eſſe; rationem reddit, quia collateraliter exercetur; nulla autem poteſtas collateralis dari poteſt. Verum cum in pleniſſima luce volens cœcutiat, & pertinaciter poſitionis ſuæ abſolutè ac ſine limitatione prolatæ falſitatem ex iis quæ alii ſcripſere videre nolit, obtorto eum eò rapiam collo, ſæpiuſque ab aliis dicta in os ei regeram; arrigat igitur aures, ni malit Orbilii plagis dignus judicari cum puerulis, qui ad ſæpius repetita non attendunt. Duas ejuſdem generis ejuſdem naturæ poteſtates, quales ſunt duæ ſummæ civiles, in unâ Republicâ exerceri non poſſe fateor, non magis quam mundus juxta Alexandrum Magnum duos pati ſoles poteſt: hæc tamen non impediunt, quo minus & civilis & eccleſiaſtica detur poteſtas, quæ duæ toto genere ſunt diverſæ, non ſecus ac in una Republicâ præter Magiſtratus poteſtatem obtinere quoque cernimus maritalem ac tutoriam, quæ ſingulæ collateraliter exercentur. Maritus quà maritus ſolus gaudet in uxorem ſuam poteſtate, neque poteſtas illa Magiſtratui ſubordinata dici poteſt; niſi quis exiſtimet Magiſtratum conſtituiſſe maritum tanquam ſubſtitutum, qui poteſtatem ſuam non proprio nomine ſed delegationis jure exerceat pro Magiſtratu non omnibus ſolo ſufficiente, qui tamen, ſi vellet, delegatam marito poteſtatem adimere, & ipſe eam exercere poſſet: eundem verò maritum quatenus civis eſt ac Reipublicæ membrum, Magiſtratus Imperio ſubeſſe non nego. Simili tutor in pupillum gaudet poteſtate, hanc liberè gerit, neque quicquam eò poteſtati civili præjudicat: ſimilem olim domini habuêre in ſervos, nulla tamen inde orta poteſtatis civilis diminutio. Verum objicit **Molinæus**;

Magiſtratus ſummâ gaudet in Rempublicam poteſtate, Eccleſia eſt in Republicâ, ergo & Magiſtratus jurisdictioni ſubjecta; eoque adducit cap. 13. Epiſt. Pauli ad Roman. unde tamen nihil aliud probari poſſe conſtat, quam omnes mortales, quia cives ſunt hujus mundi quà tales imperio Magiſtratus optemperare debere. Non etiam omne quod eſt in Republicâ Magiſtratus juriſdictioni ſubeſt, verum requiritur ut ſit de Republicâ id eſt Reipublicæ partem conſtituat: Eccleſia quidem in medio eſt Reipublicæ, neutiquam vero de Republicâ, non igitur Magiſtratus imperio ſubjecta, non magis quam legatus una cum miniſtris ſuis ab extraneo principe miſſus ejus ad quem mittitur, & in cujus territorio legationis nomine degit, ſubditus dici poteſt; cum tamen eum in Republicâ eſſe, ibique pro tempore domicilium habere, nemo ſanæ mentis negaverit.

Non dubitat etiam in ſequentibus auctor Pontificiæ religionis homines, qui non ſunt de clero, Voetio ſaniores appellare, eo quod Eccleſiæ fiſcum, territorium, juriſdictionem denegent. Sed perſonam non faciem geris Molinæe, ubi obſecro Celeberrimus Voetius unquam tribuit Eccleſiæ fiſcum, territorium, aut civilem illam propriè dictam juriſdictionem, de quâ auctores illi agunt? prodeas ſi libet, producas loca, excerpas verba, id ſi effeceris virum te dicam cui doctior orbis debeat ſtatuam ex orichalco, ſuperet quæ vertice nubes.

Ad cap. 3. notandum eſt auctorem præſupponere collegium Eccleſiaſticum Miniſtrorum ejuſdem eſſe naturæ, ejuſdem qualitatis cujus ſunt collegia Medica, Aſtronomica, Mercatoria &c. Sed falſum id eſſe, longèque aliam collegii Medici &c. quam Miniſtrorum rationem eſſe, ſequentia abundè demonſtrabunt. Collegium Medicum omninò à Magiſtratu dependet, qui ſi velit impedire jure ſuæ poteſtatis, ac deſtruere Medicorum conventus poteſt: Miniſtrorum verò ſeu fidelium coitus non Magiſtratus ſubſunt juriſdictioni, ſed ſolius Dei Omnipotentis imperio, qui duo regna conſtituit, ſpirituale alterum, alterum terrenum, eaque tanquam duas ſpecies ſibi invicem oppoſuit, terreno quidem principes ac potentes præfecit, qui ideo filii Altiſſimi ac Dii appellantur; eorum dominationi omnia collegia, omnes conventus, ubi de mundanis ac civilibus agitur negotiis ſubjecit: regno ſpirituali Chriſtus qua Mediator eſt præpoſitus, quo ſenſu dicit regnum ſuum non eſſe de hoc mundo, in cælum aſcendens legatos ſuos & miniſtros reliquit Apoſtolos ac diſcipulos Spiritu Sancto donatos, collegium ſpirituale ſeu Eccleſiaſticum conſtituentes: ſic ut nullum jus Magiſtratui, nec

im-

imperium in fidelium cœtum competat; nec ullo jure Chriſtianorum conventus quo minus de negotiis ſpiritualibus conferant, impedire valeant terrarum domini. Collegio huic ſpirituali Chriſtus non poteſtatem tantum dedit hortandi, concionandi, monendi, reprehendendi, Sacramenta adminiſtrandi, ſed etiam excommunicationem exercendi, excommunicatos ſi pertinaciter ad menſam accedant, de facto prætereunndi; ita Apoſtolus Paulus 1. ad Corinth. cap. 5. vers. fin poſtquam ſedulò fideles admonuiſſet, ne commiſcerentur cum ſceleratis, avaris, ſcortatoribus &c. tandem concludit, *tollite igitur ſceleratum ex vobis.* Non dicit monete vos illum & judicate num dignus ſit excommunicatione, ac Magiſtratus illud veſtrum judicium executioni mandet, eumque tollat è medio cætus fidelium, ſed, vos ipſi eum tollilite, vos eum excommunicate. Matth. quoque cap. 16. vers. 19. Chriſtus ait, *tibi dabo claves regni cælorum, & quicquid ligaveris in terra erit ligatum in cælo, & quicquid ſolveris in terrâ ſolutum erit in cœlo.* Non dicitur quicquid vos ligandum vel ſolvendum judicaveritis, & Magiſtratus ligaverit, id ligatum erit &c. Sed ipſos cum effectu ligandi ac ſolvendi decreta facere & ipſum ſimul actum exercere jubet.

Scire deſiderat ex Celeberrimo Voetio Molinæus *cap. 2. ſect. fin.* quâ poteſtate Macedonius condemnatus ſit in Synodo Conſtantinopolitanâ, quâ Neſtorius in Epheſinâ, quâ poteſtate ſententia Eutychis obtinuerit in Epheſinâ ſecundâ, quâ imaginum cultus in Synodo Nycenâ ſecundâ, fingitque ſibi diſtinctiones quas fortè repoſiturus eſt Celeberrimus Voetius: ſed cum umbrâ luctatur, nulla hic opus eſt diſtinctione; per poteſtatem hæc omnia facta ſunt Eccleſiaſticam. Neque quicquam mutat hanc poteſtatem quod fortè in hâc vel illâ Synodo, orthodoxis hæreticorum numero ſuperatis, heterodoxum quid, qualis eſt cultus imaginum fuerit decretum, non magis, quam ſi judicibus ſecularibus contra leges vel non ſecundum eas judicantibus diceret aliquis poteſtatem ipſorum non eſſe civilem, quia in aliquo articulo à jure receſſerunt. Verum quidem eſt eos male quid decernentes abuti ſuâ poteſtate, ſicuti princeps tyrannidem exercens, non tamen ſtatim eam amittere.

In fine hujus ſectionis ex præmiſſis concludit decreta Eccleſiaſtica non poſſe habere vim à poteſtate Voetiana, ſed à majore numero decernentium. Sed dic ſodes Molinæe an non eadem remanebit difficultas, ſi decretis vis accederet à poteſtate Magiſtratus? verum reſpondeo illam vim accedere quidem decretis à majori numero, poteſtatem tamen Eccleſiaſticam habente: major enim numerus minorem ad ſe trahit,

 quod-

quodque major numerus decrevit id omnes decreviſſe cenſentur, adeoque poteſtas Eccleſiaſtica majorem ſequitur numerum univerſum collegium repræſentantem.

Quid verò Molinæum moverit, quod Iſidori auctoritati tantum tribuerit, ut illam tanquam fortiſſimum ſicut ipſe loquitur; ad poteſtatis Voetianæ muros verberandos, quaſſandos, diruendos adduxerit argumentum, percipere nequeo; cum cuique notiſſimum ſit rationes ab auctoritate peritas pro Leviſſimis à Logicorum ac Rhetorum filiis eſſe habitas: niſi quiſquam id admirandæ ac novæ Molinæi in probando adſcribat methodo. Verum tamen non adeò Iſidori tribunal evitamus, neque adeò judicium ejus extimeſcimus, quin eum nobiſcum ſentire aſfirmemus, ac pro ſententiâ noſtrâ allegare non dubitemus: ſi quis enim locum illum accuratius examinet nihil aliud eo contineri animadvertet, quam diſciplinam Eccleſiaſticam ad Synodos ad concilia pertinere; quid ſi tamen contra decreta Eccleſiaſtica quis vim adhibere, ac violentiâ uti in Eccleſiâ velit, poteſtatem civilem auctoritatem ſuam interpoſituram eſſe, quâ delinquens corporaliter vel aliter pro delicti modo puniatur: verbi gratiâ, ſi quis hæreticus à miniſterio verbi Divini remotus perſeveret tamen ubiq; publicè docere, & in populum ſpargere ſuam hæreſin, non poteſtas Eccleſiaſtica quicquam in hunc ſtatuet, ſed Magiſtratus eum ejuſque ſectatores meritis pœnis afficiet, mulctas imponet, privilegia adimet, quo per externa media publicam hæreſeos profeſſionem & conventicula impediat. Hinc paſſim, ſed præſertim libro 1. Cod. Juſtinianei leges circa Eccleſiam latæ reperiuntur, quibus tamen nuſquam excommunicantur Hæretici, ſed Principes externis corporis vel bonorum vel famæ afflictivis eos perſecuti fuere pœnis, poſtquam doctrina eorum per Synodos & concilia damnata eſſet. Hic verborum Iſidori ſenſus eſt, quicquid de tot conſectaneis corollariis ac poſitionibus ſomniet Molinæus, quicquid contra ſtrepat ſenſumque & intellectum verborum pravâ convellere ac corrumpere conetur interpretatione. Conſtantini vero Imperatoris verba quod attinet ita latinè reddita *vos quidem eorum quæ intra Eccleſiam ſunt ego verò eorum quæ extra eam ſunt à Deo conſtitutus ſum Epiſcopus,* adeo clara ſunt ac perſpicua ut nullâ egeant illuſtratione: torqueat ea Molinæus, periphraſin faciat, Conſtantinum loquentem introducat, omnes denique gloſſatores grammaticos omnes in auxilium vocet, nunquam tamen pientiſſimum illud Conſtantini effatum ſententiæ ſuæ accommodare valebit.

Pag. 80. poſtquam diu multumque ad Iſidori locum commentatus fuiſ-

fuiſſet, liquere ait ex eodem Iſidori ſermone, ſeniores non exercere functiones Eccleſiaſticas ſed eas quæ ſunt Magiſtratus. Certè Argo oculatiorem fuiſſe Molinæum, vel Lynceo acutiorem habuiſſe viſum oportet, qui hæc in Iſidori verbis viderit; ubi tamen ne grû quidem de Senioribus, nec de eorum officio ulla fit mentio; ſomnians fortè vigilavit, cum hæc inde colligeret. Miror inſuper eò impudentiæ hominem delapſum ut ſecundum Iſidorum uti exiſtimat contra ſole meridiano clariores textus è ſacro codice petitos id audeat affirmare: 1 Timoth. 5. vers. 17. Apoſtolus Paulus ait; *qui benè præſunt presbyteri, duplici honore digni habeantur, maximè illi qui in ſermone & doctrinâ laborarunt.* Agitur ibi non de poteſtate illâ quam Molinæus Magiſtratui tribuit, ſed ſolâ functionis poteſtate in docendo & monendo conſiſtente. Quin eandem fere in pleriſque illos habere poteſtatem, quâ gaudent paſtores ſeu miniſtri patet ex actis Apoſtolorum capite 15. vers. 2. & *ſeqq.* præcipuè 6. ubi Apoſtoli & presbyteri congregati fuiſſe dicuntur, ut de quæſtionibus Eccleſiaſticis inter ſe conferrent & vers. 23. Epiſtola quam Antiochiam miſerant, non minus Seniorum quam Apoſtolorum nomen continet; & Actor. 16. vers. 4. dicitur, eos tradidiſſe civitatibus Canones compoſitos ab Apoſtolis & Senioribus: hinc utrumque falſum eſſe liquet, & Miniſtros tantum habere poteſtatem functionis, & Seniores tantum Magiſtratus, uti loqui amat, gaudere poteſtate.

Pag. 85. homo comitialis, ut ſuperioribus caput demulceat, cornicatur, impia & blaſphema in Majeſtatem Regum ac potentiam eſſe dogmata, docentia, *judicium Magiſtratus officii particularis intuitu non ſpectare veritatem & pietatem, ſed tranquillitatem Reipublicæ.* Sed ficulnus eſt gladius & nullius coloris argumentum; quaſi vero nemo perfectus poſſit eſſe Magiſtratus qui non ſit ſimul Chriſtianus: eum quidem Magiſtratum qui non ſpectat etiam veritatem ac pietatem, malum fateor eſſe Chriſtianum; ſi tamen pietatem etiam pro fine habeat eamque intendat, non id aget tanquam Magiſtratus, ſed Chriſtiani officio, qui, quantum poteſt, Chriſti regnum promovere, Satanæ potentiam deprimere, & Dei gloriam pro fine habere debet. Magiſtratus qua Magiſtratus terreno imperio præpoſitus eſt ab univerſi rectore; ſi itaque terrenum illud rectè adminiſtraverit, officio Magiſtratus ſatisfecit. Ethnicos æquè feliciter ac Chriſtianos Reipublicæ clavum direxiſſe quotidiana docet experientia: quodnam unquam imperium quoad terrena ad perfectionis gradum Reipublicæ Romanæ pervenit? quæ & in pace & in bello, tam domi quam foris induſtriâ conſulum mirum in modum con-

ſcripſerit Cicero in Tuſculanis quæſtionibus. Næ iſta glorioſa ſapientia non magno æſtimanda eſt, ſiquidem non multum differt ab inſaniâ. Et Tulliuſne intelligeret ſi quis Voetium appellaturus in vocativo caſu diceret *Voetii* ? ut tu probe ſaginato facis ſolæciſmo pag. 41. dicens, *arrige aures Voetii.* Tulliuſne Iſidori locum, uti à te ex corpore Canonico deſcriptus eſt, civitate Romanâ donaret ? namque in principio ferè in hunc modum allegata conſpiciuntur verba ; *niſi ut quod non poteſt prævalere ſacerdos efficere per doctrinæ ſermonem, poteſtas hoc impleat per diſciplinæ terrorem.* Qualis ſit hæc Latinitas Lectoris judicium eſto: ſaltem in corpore Canonico cauſâ 23. quæſt. 5. cap. 20. ita legi ſolita hæc verba ; *niſi ut quod non prævalet ſacerdos efficere per doctrinæ ſermonem &c.* Nondum Celeberrimus Voetius impingit in regulas grammaticas, aut in vocibus occupatus inanes ſonos fundit, vocabulis tantum quibuſdam, non ex ipſo quidem Cicerone petitis, ad exemplum tamen dictionum Ciceronianarum compoſitis docendi gratiâ tanquam terminis artis uſus eſt, ſine quibus ars nulla, nulla ſcientia doceri diſcive poteſt.

Tandem etiam vatem acturus vel potius ariolum cum nihil certi afferas, dicis Voetium diſtinctiorum ac diviſionum grandinem repoſiturum, te verò certamen declinaturum edicis; neque ullam diſtinctionem præter eam quâ poteſtas in internam & externam dividitur, admiſſurum, Laudo te Molinæe, qui arma modumque, quibus debellari cupis, paciſceris : plus boni feciſti hodiè imprudens quam ſciens ante hunc diem unquam. Egregius certè miles eſt qui nomen militiæ dedit, eâ tamen conditione, ne intra maximi tormenti bellici jactum hoſtibus appropinquet, aut ut haſtâ certaturus centum paſſibus ab adverſario remotus ſit. Hæc ſane Chremetis Terentiani ſunt, cui ad incitas redacto ita paraſitus Phormio occinit; *verba ſunt mortuo, exequias Chremeti, quibus commodum ire, jam tempus eſt,* non autem Dioxippi Athenienſis, cui tu te comparas hominum vaniſſimè ; temerarius cum ipſo Voetio in certamen deſcendere cupis at pœnas tanto hiatu dignas feres. Si cum illo eximio Theologo incæptes, ſudabis ſatis, & omnis illa imaginaria fortitudo tibi in nervum irrumpet. Memento Daretis & Entelli; hos laſſus firmius pedem figit. Non curat Voetius Claudiana tua tonitrua, & verborum ſtrepitus ; ſi tibi machæta ſit, illi urbina eſt domi. Sis tibi Achilles ſis Hercules, ſis ipſe Mars, ipſe tamen pellem tibi auferet,

fieſque illi quod olim Apollini Marſias ; nec ſecus ac rana coaxans à leone, ſic ventoſæ tuæ poſitiones à Celeberrimo Voetio conculcabuntur, & futilia tua argumenta, quaſi Sibellæ Foliis inſcripta eſſent , leviſſimâ ſpirante refutationum aurâ ſemper confundentur ac miſcebuntur, ſic ut initium vel finem neque tu neque quiſquam alius unquam reperturus ſit.

F I N I S.

1043.8
2

147

1043. =

1043 · x

Digitized by Google

9.1b

Digitized by Google